

VVENTZELAUS MARTYR.



Ventzelaus filius fuit Vratislai ducis Bohemiæ ex uxore Drabonucia muliere audace, ad quæuis scelera prona, & gentili. Habebat uero fratrem Boleslaum maternis moribus similem. Accidit itaque post patris mortem, ut ipse à Ludmil la paterna auia Christiana, frater uero à matre educaretur. Itaque factum ut alumni nutricum mores induentes, Vuentzeslaus Christi pietatē, Boleslaus idolorum culturam sequeretur. Verum Drabonicia mater ægrè ferebat alterum filiorum Christianum esse, atque socrum Ludmillam, quæ filium instituerat, stragulari curauit: ipsa postea imperium suscepit. Tandem uero inter fratres adultos Cæsaris & procerum Bohemiæ authoritate ducatus diuiditur. pars una Boleslao (quem mater moribus suis congruentem secuta est) pars uero altera Vuentzeslao cessit. Itaque Vuentzelaus sui ducatus sedem Prage tenuit. Erat autem ipse corporis maiestate conspicuus, cibi & potus parcissimus, uirtutibus omnibus præditus, & uirginitatis ad ultimam uitæ diem strenuus conseruator.